

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2021-2022  
À rendre pour le lundi 11 octobre 2021 (casier au DSA)

## Version latine n°2 : le dilemme d'Althée

*Fille de Thestius, épouse d'Énée et mère de Méléagre, Althée apprend que son fils vient de terrasser le redoutable sanglier de Calydon. Ce qu'elle ne sait pas encore, c'est qu'au cours d'une rixe autour de la dépouille de la bête, Méléagre a tué ses deux oncles maternels...*

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : jusqu'aux crochets droits.*

Dona deum templis nato uictore ferebat,  
cum uidet extinctos fratres Althaea referri.  
Quae plangore dato maestis clamoribus urbem  
inplet et auratis mutauit uestibus atras ;  
at simul est auctor necis editus, excidit omnis  
luctus et a lacrimis in poenae uersus amorem est.

Stipes erat, quem, cum partus enixa iaceret  
Thestias, in flammam triplices posuere sorores ;  
staminaque inpresso fatalia pollice nentes  
« Tempora » dixerunt « eadem lignoque tibi que,  
o modo nate, damus. » Quo postquam carmine dicto  
excessere deae, flagrantem mater ab igne  
eripuit ramum sparsitque liquentibus undis.  
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis  
seruatusque tuos, iuuenis, seruauerat annos.  
Protulit hunc genetrix taedasque et fragmina poni  
imperat et positis inimicos admouet ignes.  
Tum conata quater flammis inponere ramum,  
coepta quater tenuit : pugnat materque sororque,  
et diuersa trahunt unum duo nomina pectus.  
Saepe metu sceleris pallebant ora futuri,  
saepe suum feruens oculis dabat ira ruborem,  
et modo nescio quid similis crudele minanti  
uultus erat, modo quem misereri credere posses ;  
cumque ferus lacrimas animi siccauerat ardor,

inueniebantur lacrimae tamen. Vtque carina,  
quam uentus uentoque rapit contrarius aestus,  
uim geminam sentit paretque incerta duobus.

[Thestias haud aliter dubiis affectibus errat  
inque uices ponit positamque resuscitat iram.

Incipit esse tamen melior germana parente  
et consanguineas ut sanguine leniat umbras,  
inpietate pia est. Nam postquam pestifer ignis  
conualuit, « Rogus iste cremet mea uiscera » dixit,  
utque manu dira lignum fatale tenebat,  
ante sepulcrales infelix adstitit aras,  
« Poenarum » que « deae triplices, furialibus, » inquit  
« Eumenides, sacris uultus aduertite uestros !  
Vlciscor facioque nefas ; mors morte pianda est,  
in scelus addendum scelus est, in funera funus ;  
per coaceruatos pereat domus in pia luctus !  
An felix Oeneus nato uictore fruetur,  
Thestius orbis erit ? melius lugebitis ambo.  
Vos modo, fraterni manes animaeque recentes,  
officium sentite meum magnoque paratas  
accipite inferias, uteri mala pignora nostri ! »]

Ovide